





I. N. J.  
DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> PHYSICA  
PRIOR  
<sup>DE</sup>  
**CALEFACTIONE**  
**SOLARI,**

*Quam.*  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi & Excel-  
lentissimi

**DN. CONSTANTINI ZIEGRA,**

S.S. Theolog. D. & Physiolog. Prof. Publ. longè  
celeberrimi, nec non Ampliss. Facult. Philos.

p.t: Decani Specatissimi,

DN. Patroni, Preceptoris ac Promotoris  
sui perpetuis observantie cultibus  
devenerandi,

Publicæ sententiarum collationi  
exponit

**M. BALTHASAR CHRISTIANUS**

TRÖGERUS,

Juterbocensis Saxo.

Die XXIX. April. boris pomerid.  
in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.  
Anno M. DC. LXV.



卷之三

BRUNNEN 21. JAHRGANG 1926

ALL SOULS SUNDAY



I. N. J.

## PROOEMIUM.

**N**on conditi tantum stellarum ordines eum insinuuntur sicut sunt, ut quod ab abyssus monstrabat caligines, expellerent prorsus, lumenque toti suppeditarent machine; sed ut suis quodque virtutibus operarentur in sublunaria mirabiliter, ac plurimarum essent vicissitudinum causae. Hinc cum stupore nonnunquam mirabiles experimur effectus, quos attribuere non nisi sideribus naturae scrutator potest. Quid enim de procreantibus meteororum principiis; quid de potissimum quorundam corporum mutationibus sentiri debeat, hoc iste demum intelligit, quem maxima stellarum virtus haud quaque latet. In scenam Sol prodeat, quod declarares, et oculis objici citra difficultatem queat. Locupletissimus hic splendoris possessor est, cum non terrarum duntaxat circuitum; sed vastas etiam, quae caelum constituant, regiones collustrat. At, si contendere lux cum Solis effectibus velic, aut prevalentem apud nos efficacias: aut pares tamen ad minimum experiretur fulgor. Nullatenus autem nunc methodus fert, ut singula, quae Soli tribuimus, adducam hic, chartasque superforaneis compleam; sed calefaciendi saltem demiror vires, quas terra pariter et aeris habitatoribus perpetuo quidem, at his in primis temporibus multo copiosius exponit. Licet enim indecenti presentia vilescant propemodum, ac ne ruricolis quidem admirationem incutiant; tot tamen naturae mysteriis involvitur opus, ut explorari se penitus, haud faciliter patiatur. Cum multos igitur, qui solem caelum lucidissimum contemplantur, reperias, non certe conveniet minus, si eum, prout efficacissimus quoad hanc calefactionem est, duabus exercitationibus physiologicis in tantum saltem, quantum ingenii

A 2

vires

admittent, proponam. Ad D̄eum verò, priusquam rem ipsam aggrediar, devotis ascendendum spiriis erit, ut, sicut nos omnes non spectatores tantum; sed & perscrutatores suorum operum fecit: Ita me posthac, quātas in sole reposuerit vires, perscrutaturum, auxilio suo quām clementissimè juvet, quō dissipatis falsitatum tenebris in nitidissimum veritatis splendorem devenire liceat.

S. I.

**Q**uid per SOLAREM CALEFACTIONEM intelligantur luculentum nunc, ut arbitror, ex præliminaribus erit. Exponenda videlicet hæc Solis actio est, quā infima mundi partes calore resicit, ne corpora, quæ comprehenduntur ab illis, injuria frigoris pereant; sed amoenissimo caliditatis accessu refocillata nonnunquam retinere vigorem & instaurare possint. Hinc nullus ab initio remanet de PRINCIPIO scrupulas, unde deduci præcipue hæc calefactione debeat. Solarem enim cum nuncipaverimus eam, animadvertere, quod à Sole proveniat principaliter, vel primo intuitu licet. Nec tantæ quisquam simplicitatis est, ut, quicquid caloris à cœlo producit, referre neutiquam ad Solem sciat: Alioquin ignorarentur singula, quæ sensibus, tanquam certissimis cognitionis mediis exposita sunt: Nam quoties Sol per motum secundum meridionales relinquit stellas, & ad septentrionales convertitur; toties calidam nobis astatem affert. Imò, quot primo motu supra Horizontem nostrum emergit vicibus; tot nos diebus, qui noctes socias caliditate præcedunt insigniter, exhiberat. Contrarium verò, si vel deflecat ad Austrum; vel vesperti descendat, animadvertisit semper, nemoque tempestatem fervidam, nisi projectis ejus in se fulgoribus, experietur. Hæc omnia sensuum ministerio tam accuratè percipiuntur, ut veritati nihil decessurum, arbitrarentur Sapientes, si Solem cœlestē cor fontemq; caloris appellarent. Consulatur præ cœteris Cælius Rhodinus, qui lib. Antiqu. Leet. c. 4. istarum denominationum causam quām optimè explicat: Ut in nobis, inquit, & caloris, & vitæ fons ac præpago est cor; Ita & cœlestē cor ipse Sol nostra hæc pro caloribus potestate movet, afficit, argit ad vitam præditum: Interim tamen diffi-

diffiteri non volumus, calorem ab aliis adhuc stellis elici ac provocari: Qvandoqvidem negotium hoc non Martitantum & Cani; verum Leoni præterea, qvin multis etiam ex reliquis astris attribuendum venit: sed indicamus tantum, rem circa Solem se multò manifestare clariss, dum ipse Sol, ut luce suâ obfuscare consuevit stellarum lucem, qvò minus oculis usurpentur à nobis; sic qvoq; calefactionem exponens earum vires obnubilat, cum tantò semper ad calefaciendum efficacior sit, qvantò majori potentia exornatus præ cæteris fuit.

§. 2. Quemadmodum autem Sol citra controversiam rem ipsam vendicat, ut verear omnino, ne, si plura de certitudine hujus principii in chartam conjectero, obscuraturus potius, qvam declaraturus eandem videar; sic penes calefactionis istius FORMAM ac MODUM vix superabilis nos difficultas tenet. Qvam obrem tam varia hic Sophorum placita videoas, ut facile sit, naufragio vel circum spectissimum inter tot Syrtes submergi. Necessarium igitur est, ut, si prætervehere feliciter hanc opinionum diversitatem velimus, remotis antè sententiis falsis convenientem demum, ac probatissimam subjiciamus.

§. 3. Inventi qvondam non paucisunt, & inveniuntur adhuc, qvi Solem non aliter, qvam per formalem qvendam, sibiq; proprium calorem calefacere docuerunt. Nam si consulendis veterum Philosophorum scriptis aliquid tantum impendamus temporis, vix unus & alter deprehenditur, qvem non allectum hic error teneat. Περὶ autem eorum φυσικῶν fuit, qvòd Solis cæterarumq; stellarum materiam ignitam esse, credideint: Sic enim Solem protus ad consuetudinem ignis calefacientem introduxerunt. Vix annotationem merentur, qvæ Anaxagoras, Democritus & Metrodorus de tantâ re nūgati sunt, dum Solem aut raptum de terrâ lapidem, ac per vertiginem cæli accensum; aut ferrum igneum vocârunt, ex cuius corpore perpetuus egreditur calor. Nec minus absurdè Parmenidem Xenophanemq; docuisse, colligitur, cum ille stellarum essentiam per igniculorum compaginem; hic autem per inflammatarum nūbium cumulum describendam putârit. At Stoici errorem augebant ulterius, ita qvidem, ut stellas non igneas solum asserterent, sed profite-

rentur etiam: Illas vaporibus ex aquâ & terrâ extractis ali; Nullamq; aliam conflagrationis mundi novissimæ caussam fore, quâm qvôd deficiente pabulo cunctas res stellæ sint consumpturæ. Falsissima Gentilium horum traditio nonnullis forsitan ex Patribus, ut suam qvôq; eandem fecerint, imposuit. Basilius enim Hom. 6. in Genes. de Sole ita loquitur: Ενταῦθα μοι τὴν σοΦίαν & πεχύτε, κατάμαρτι, πῶς τῷ Διεσπέντε τότε σύμμετερον ἔδωκεν αὐτῷ τὴν θερμότητα; ποσὶ τον γαρ εἰν αὐτῷ τὸ πυρώδες, ὃς μήποδι υπερβολὴν καταΦλέξαι γῆν, μήπε Δια τὴν ἐπλειψίν κατεψυγμένην αὐτῇ, καὶ ἄγονον διπλωπήν. Imò majorem in defendendâ re contentionem ostendunt Ambrosius l.2. in Hexaëm. Theodoretus, Justinus Martyr, & alii, qvos ab Autoribus allegatos observes. Nos missis antiquorum dogmatibus cum recentissimis tantum controversabimur; ita tamen, ut inter omnes eos eligamus potissimum, in quorum scriptis præcipuum hujus sententia Patrocinium reperitur.

§. 4. Huc igitur pertinent Christophorus Scheinerus, lib. 4. Ros. Ursin. part. 21. c. 17. Athanasius Kircherus. lib. 1. Artis magna luc. & umb. cap. 1. Ismaël Bullialdus, lib. 1. Astronom. Philolaicæ, c. 7. Tellerz, disp. 44. Phys. sect. 3. num. 14. Franciscus Resta lib. 1. Meteorol. c. 10. qvi Solem vocant igneam sphæram, ex fluore aetherio concretam, & similem fornacibus fusoriis, seu æri in ipsarum cuppis liquefacto, & undanti, ad mixtis fuliginibus atris. Nec Hieronymus Cardanus excludi debet ab hoc ordine, propterea, qvôd lib. 4. Subtil. p. 114. scribit: Ego, calidum esse Solem, ponere non vererer, cum nihil calidum aliud eo caloris generere existimem. In primis autem obtinere qvicqvam ad demonstrandam in hærentem Solis caliditatem volunt Patricius lib. 15. Pancosm. Johannes Baptista Ricciolus, Almagest. Nov. lib. 3. cap. 1. fol. 92. Item lib. 9. sect. 1. qvæst. 4 fol. 230. &c, qvem primo loco nominare debuisse, Marcus Fridericus Wendelinus, Contempl. phys. sect. 3. cap. 13. thes. 6 p. 427. seqq. ubi positionem allegatam sequentibus adornat verbis: Calor est qualitas stellarum interna tactilis, per quam stellæ aëtu sunt calidae, & alia calefaciunt. Deinde, postquam varia de hoc negotio recensuit judicia, Nos, inquit, omnibus hisce sententiis ad Autores suos dimissis, simplicissimam, quam & veterum permulti, & recentiorum, qui liberum philosophandi genus amant, non placiti amplectuntur, hanc profitemur: Calefacere stellas inferiorem hunc mun-

mundum, non luce, vel lumine, non radiorum reflexione, non motu, non igne concomitante; sed calore habituali, actu inhaerente. Ut igitur inferiora hæc illuminant lumine à luce internâ in aëre propagato; sic etiam eadem calefaciunt calore proprio & interno in subiectis corporibus externum generante. Rectè quidem simplicissimam opinionem suam ac plerorumq; suffragiis stipatam appellat, cùm nemo forsitan in eruditorum hominum sit, qui non ut igneam sibi naturam Solis conceperit: Verùm non simplicissimum qvodq; verissimum est. Interdum enim aperta sub simplicitate latet absurditas, qvod in seq. parag. de *Wendelini* cæterorumq; placitis citra pulveris jactum demonstraturi sumus.

§. 5. Nullatenus itaq; per formalem qvendam sibiq; proprium calorem calefacere Sol, ac recreare sublunarem hunc mundum solet. Nam(1.) pervulgatum pariter atq; verissimum Enunciatum est: *Qvod quis in se non habet, illud ex se communicare non potest alteri*: Nunc subsumamus de Sole: Hic formalem ac proprium calorem in se non continet. Ergò eundem inferioribus ex suâ substanciali nullatenus impertitur. Minor statuminari facillimè potest. Caliditas enim affectionem elementarem, qvæ ignis essentiam tantum consequitur, exhibet, ut præter ipsum etiam nullum aliud inveniatur corpus; qvod venditare se pro primo immediatoq; caliditatis subiecto queat. Sol autem neq; totus, qvantis conspicitur, ignitus est: neq; compositionem ex igne agnoscit, siq; videm tantam cum stellis reliquis simplicitatem acceperit, ut ipfis qvoq; Elementis hâc in parte non cedat multum. Et si (2.) qvisq; vnam, nihil interdicere, qvò minus conditus exigne dicatur, excipiat, is distinctissimum saltem, qvem Deus in primo rerum molimine fecutus est, processum & ordinem perpendat. Creavit Numen non unicam tantum, sed reverâ tergeminam materiem, cœlestem scil. elementarem ac lucidam. Prima constituebat cœlum, secunda sublunari consecrabatur mundo, tertia demum creandis inserviebat stellis. Hinc æqvè inconvenienter ex Elementis Sol, ac corpus qvoddam compositum ex luce primigeniâ conflatum statuitur. Ponamus tamen (3.) Solem nihilominus, naturam igneam obtinuisse, qvatumvis conditus ex luce fuerit. En verò! qvatum hâc iterum impedimentum

mentum prorumpat! Nempe certissimus à Physicis adstruitur  
Canon: Ignis ob levitatem summam sursum à Centro fertur. Conf.  
Incomparab. SPERLINGIUS, Instit. Phys. lib. 4. cap. 6. pag. 722. Appli-  
cent hoc ad Solē, qvibuscunq; Sol igneus est, & facile nos ὁμοψή-  
Qg habebunt. At, cùm non possint, infallibiliter sequitur, vel  
ignem per circularem motum moveri, qvod ipsis ut ατονα Pe-  
rarius objicit lib. 2. in Genes. quæst. 10. dum, fore, si Sole esset igneus, di-  
cit, ut ignis motu violento nempe circulari perpetuo moveretur; cùm  
motus igni naturalis & rectus & sursum sit; vel Solem qvoad essen-  
tiam totam ab igne discriminari. Qvā igitur veritate de Sole  
enuncietur calor, unicuiq;, qvem judicandi facultas non dese-  
ruit, colligendum relinqam. Præterea (4.) tanquam certissi-  
mum admittatur, necesse est, vastissimum Solis corpus, si per  
proprii caloris communicationem calefaceret, essentiam suam  
amisisse jamdudum, siquidem non solus ē Sole calor; sed simul  
cum calore perpetuus corpusculorum emanasset nexus, qvod  
nemo præter eos, qvi priorum ē subjectis migrationem asse-  
runt, inficiabitur. Vid. Dn. Lic. Pomarius in disp. 2. de Consensu & Dis-  
sensi Corp. Nat. §. 9. Nec (5.) reticendum illud absurdum est, qvod  
ex falso hoc calefactionis solaris modo, tanquam ex largissimā  
falsitatum scaturigine fluit. Si enim statuis: Solem ut stellam ca-  
lefacentem per igniculorum transmissionem calefacere, nemo  
me prohibet, qvō minus Saturnum, ut stellam frigefacentem,  
per corpusculorum aut terrenorum, aut aqueorum emissionem  
frigefacere, censem, cùm aqua & terra frigiditatis, sicut ignis  
caliditatis, subjectum ab omnibus habeatur. At posterius αὐεὶ<sup>αλογοσίας</sup> affirmari non potest, alioquin terreus Saturnus esset,  
aut aqueus. Ergo nec prius assertionem meretur. Quid (6.) de-  
niq; de qualitate istius aëreæ regionis, qvæ media vocari conve-  
vit, dicam? Hęc certè robustissimum contra formalem Solis ca-  
liorem suppeditat argumentum. Nam cui perswasum est, calo-  
rem à Sole terram aquamq; versus evibrari, is medium aëris tra-  
ctum infimo longè calidiorem asserere cogitur, nisi omnem ex-  
perientiam, qvæ ignem vicina magis, qvam remota caleficere  
testatur, eludere cum pertinaciā velit. Quem autem rerum phy-  
sicarum scientiā vel mediocriter saltem imbutum latet, majo-  
rem

rem mediæ, qvām infimæ regionis frigiditatem exinde defonstrari facile, qvōd, cūm in illâ variæ meteororum aqveorum species ob frigoris condensantis præsentia in generantur; in hâc ē diverso, simulatq; per delapsum eam attingnnt, à caliditate resolvantur vicissim? Idcirkò sine maximâ veritatis jacturâ retineri non potest hæc opinio, secus si qvisqvam faciat, rejectâ non tantum ratione, sed spretis etiam experimentis certissimis philosophatur.

§. 6. Sed qvoniam suis non destituuntur rationibus *et ceteris*, videbimus breviter, qvid regerendum ipsis ad potiores sit. Qvod, ut eò commodius fiat, distingvimus (1.) *inter lucidum & igneum*. Perpetua enim contradicentium hypothesis est, qvā singula, qvæ lucida sunt, pro igneis infallibiliter habent. Hinc, cūm omnium maxima deprehendatur in Sole lux, qvin igneus idem sit, haud dubitandū, censem. Audiamus modò *Cardanum L.4. Subtil. p. 115.* cum in modū differentem: *Lumen est lucis similitudo, quæ claritatis in se calor substantiam adeò habet annexam, ut propè nihil sit aliud. Ob hoc clarissima sidera etiam calidissima, ut: Sol, canis uterq; & Jupiter. Non igitur lumen & claritas, & calor tres sunt res; sed una, diversorum comparatione, diversa nomina, & etiam diversam imaginem, ac representationem suscipiens.* Verùm enim verrò, plus, qvām probare possunt, asserere cupiunt. Nam lux & calor individui comites neqvaqvam sunt. Invenias lucem, calorem non animadvertis. Lucent proculdubio gemmæ, cicindelarum item, atq; squamarum superficies; at minimè calent. Qvid ergò mirum est, si Sol, tametsi sit lucidus, caliditate tamen carere prohibetur. Pluris autem testimonium illud habetur meritò, qvod in Pandectis Sacris à *Psalte Regio* primùm Ps. XIX. v. 7. Deinceps à sapientissimo *Syracide*, cap. XLIII. v. 3. & 4. annotatum objiciunt. Uterq; n. dum Soli caliditatem adscribit, eundem tanquam caloris subjectum describere videtur. Imo Syracides fornaci Solem expressè confert, idèò, qvōd, sicut illa, cūm ignibus repleta est, calorem quoq; voversum evomit; Ita hic, præsertim si percurrat meridiem, ingentem igniculorum multitudinem expiret. At nos (2.) disting. *inter caliditatem τα θητικῶς, hoc est, affectiuè seu formaliter; Et εὐεργητικῶς, hoc est, effectivè, seu virtualiter consideratam.* Scriptura S., qvotiescunq; Soli caliditatem attribuit, non affecti-

vām; sed effectivam indigitat, explicaturā tantūm, qvōd calor à Sole, velut à causā effidente producatur; non qvōd in Sole, cē in subjecto reperiatur. Si perseverent, qvi contradicunt, atq; perspicuis Ecclesiastici verbis nos urgeant, dist. (3.) *inter locutionem propriam; & figuratam: nec non inter sermonē κατόξενον; & nat' αληθινα prolatum.* Nam vel secundum vulgi sententiam *Ecclesiasticus* loquitur; vel allegoricum tñ. ejus effatum est, qvemadmodum continuata Solis cum fornace collatio non obscurè lectorem docet. Nec Palmam nobis *Ricciolus*, dum ad visūs testimonium provocat, extorqvet statim. In Sole qvidem nonnullas dicit, per telescopium observari faculas, qvas pro formalibus flāmis habet? Sed argumenti vis expirat planè, simul ut (4.) distinq. *inter falsam rei cuiusdam apparentiam; & veram ejus essentiam.* Solem ē tantā longinquitate visum hanc ostentare faciem, largimur quadantēnū; an verò proptereā talis sit, non imēritō dubitatur. Qvis omnem n. à sensibus circa proprium objectum versantibus remoturus errorem est, cùm justam magnitudinem intervallū excedit? Eādē facilitate *Wendelinū* retinendimus, dum igneām Solis essentiā probaturus intercedentem proprietū inter ignem & stellas communionē objicit: Siqvidem (5.) dist. *inter propria proprie;* & *improprię accepta.* Propria ignis, qvę *Wendelinus* de stellis enunciat, non ejus; sed hujus generis sunt, ac proinde, licet vel maximē deprehendantur in stellis, igneām tñ essentiā nequaquam inferunt. Tandem, ut reliqvis adversariorum ab Etymologiā desumptis fundaminib⁹ cārus obviā, dist. (6.) *inter argumenta topica;* & *apodictica,* seu *inter ἀναγνώσιν;* & *πραγματική.* *Ricciolus*, cùm ex Ebræo nomine שׁׁמֵן, qvōd solem in lingvā sanctā, secundūm literam a. Antagonista nihil aliud, qvām ibi *ignis* significat, formalem Solis calorem adstruere conatur, non apodicticē procedit; sed topicē: non per πραγματική; sed ἀναγνώσιν causam agit. Jam, qvantulum huic argumentationis generi tribuendum veniat, ab exemplorū inductione sufficienter instruimur. Adhac vera, propria & adæquata debet esse Etymologia, secus si comparatum cum cā sit, nihil elicetur solidi. Veruntamen talem *Ricciolus* nobis haud videntat. Vox שׁׁמֵן n. non ex שׁׁ & מֵן, ut ipse vult, componitur; sed à chaldaico verbo שׁׁמֵן, qvōd ministrandi significationem habet, derivatur, qvia Sol in ministrando lumine totius mundi mini-

minister est. Vid. Buxtorff. in Lexic. p. 828. Sic minùs legitimè con-  
cludit Autor : Vocabulum ἡλίος interdum ignis nomine venit, in-  
terdum Solis. Ergò Sol igneam naturam obtinet. Nam ab identi-  
tate nominum ad rerum identitatem colligere, nimis in congru-  
um videtur.

§. 7. Coeterū, non præter rem facturos nos, confidimus, si,  
priusquam digrediamur hinc, Wendelinum ad rationem postre-  
mam, quā circa finem par. 5. formalem Solis calorem profligavi-  
mus, loc. cit. p. 439. respondentem adspiciamus paulisper, quod fi-  
et, ut probè perceptus ad ubiorem falsitatis manifestationem  
nos ducat. Collegimus à hunc in modum cum Zabarella, lib. de  
*Calor. Cœlest. c. 1.* Si Sol proprio calore calefacit, intermedium aëris  
tractus calidior erit inferiori, quoniam id, quod calefieri debet,  
quantò vicinus est calido, tantò calidius ut fiat, necessitas præ-  
cipit. Sed consequentis absurditas ex meteororum generatione  
patet. Ergò non minùs falsum est antecedens. Hoc argumentum,  
ut Autor debilitet, talem subjicit respondionem: Propositioni con-  
sequentiam negamus, utpote, quæ tum demum valeret, nisi gemino quasi  
calore inferior aëris regio caleret, simplici primū à Sole sparso, & re-  
cta aërem transeunte: Deinde eodem circa terram accumulato, & sur-  
sum versus propagato. Explicat id Sect. I. part. I. c. 21. thes. 8. p. 116. subse-  
cuturis verbis: Calor à verticali Sole vi magnâ & celeritate ad per-  
pendiculum in terram vibratur, quam, cum ob duritatem penetrare non  
possit, non repellitur ipse quidem, ut de radiis vulgo docent; sed propè  
terram paulatim accumulatur, & sursum versus iterum propagatur,  
Per spicuum igitur est, Antagonistam illud intendere, ut calefa-  
ctionem solarem, per calefactionem ignis vulgaris exponat. Ve-  
rū nos regerimus (1.) hæc omnia male ad Solem transferri, cum  
maxima Solis & ignis in actu calefactorio animadvertisatur diver-  
sitas. Ignis n. vim suam in verticalibus rebus; Sol a. in perpendiculariter suppositis exercet potissimum, hinc tantum abest, ut  
per hoc ignis οὐεγστράνην ignita Solis probari possit essentia, ut  
eo potius quam solidissimè refutetur. Et quamvis Autor loc. no-  
vissimè cit. diversitatem illam per peculiarem Dei dispensatio-  
nem excusare velit, dum inquit: Astra cœlestes sunt ignes, h. est, cor-  
pora, non tantum effectu, seu virtualiter; sed & affectu, seu formaliter  
calida, non minùs, quam ignis hic noster, quem focalem vulgo nuncu-

pant : hoc tantum discrimine, quod hujus efficacia & virtus sursum maxime, illorum a. naturae Parente ita disponente, deorsum tendat : Non tamen persuadefitur quisquam, ut, Deum eidem essentiæ duas affectiones contrarias indidisse, credat. (2.) In ipso igne res adeò certa non est, ut ab eo statim ad Solem colligere liceat. Quantumvis n. superiores hypocausti partes ob naturalem ignis ascensioni calidores reddantur inferis, id tamen, num consimiliter fiat, cum tantus inter ignem & objectum deprehendit tractus, ut atomi dispergantur citius, quam eò, quod debent, pertingunt, probandum Adversario fuisse. Sed sicut illud in igne nondum probatum est ; ita multò minus de Sole, quem ab insimâ aëris regione tot milliarium millia separant, affirmandum videtur. (3.) Wendelinum cum Wendelino committimus. Nam ejus, quod hic opposuit nobis, luculentissimum defendit contrarium in sect. 3. c. 8. tb. 13. p. 285. ubi quarenti, quæ causa tam intensi caloris in aëre supremo sit, hunc in modum respondet : *Actualis astrorum calor, qui in aërem sibi proximè subiectum est efficacissimus. Quin igitur calidissimus ex vehementi istâ alteratione evadat, minimè dubium.* Nec esse opinor, quineget, ab igne calidiora reddi, quæ sunt viciniora, quam quaremoriora sunt, quod vel taceenteratione sensus restatur, experientia loquitur. Inficiatus in præcedentibus argumenti consequentiam est, cum ad intensiorem calefactionem à situ propinquiori conclusimus. & ipse in falsissimam supremæ regionis aëreæ caliditatem demonstratus eandem collectionem usurpat. Hinc nostrū interrogamus Autorem : Cur non medius aëris, si supremus ob aëalem Solis calorem calidissimus est, & qualitermè caloris gradu gauderet? Item, cur non suprema regio, si media simplici tantum calore calet, simplici quoque calida redderetur? præsertim, cum duplex, seu propagatus Autoris calor initium suum non de super, sed sursum à terrâ sumat. Quoniam igitur hic negat, quod asserit alibi, quid aliud facit, quam ut sententiam suam in certissimam falsitatis suspicionem adducat?

§. 8. Hactenus in refutando formalis Solis calore detenti fui-  
mus; Nunc desideratur adhuc, ut, quam erroneæ ceterorum sen-  
tentiae fint, brevioribus lineis dispiciamus. Eliminandus igitur  
hic loci secundus ab Aristotelicis falso creditus calefactionis mo-  
dus est, quem vel per rapidum motum; vel per lumen & radios deri-  
van-

vandum à Sole censem. Nam praeunte Philosopho lib. 2. de cælo c. 7.  
& libr. 1. Meteorol. c. 3. singulis ejus Interpretibus hæc sedet opinio,  
quod Solem vi motūs aut luminis in sublunarium plágā calorem  
producere statuant. Vid. præ reliquis Jobannes Magirus, qui for-  
mam, quā peragatur illa productio, descriptā dedit in Comment.  
Phys. lib. 2. c. 4. p. 164. *Calor*, inquit, à motu excitatur, non per se; sed per  
accidens, hoc est, non primario, & quatenus est motus; sed per aliud, &  
secundariò, quando nimicum rarefacit, extenuat, & atterit partes aëris,  
& sic aërem attenuatum, igneum atq; calidum efficit. Eadem plane ra-  
tione, lumen quoq; causa est caloris, quatenus nimicum aërem attenuat,  
quam extenuationem sequitur calor. Sed ruinosis admodum & val-  
dè debilibus talis Aristotelicorum sententia stabit, si, qvibus ini-  
fringi posse argumentis, ad oculum unicuiq; commonstremus.

9. 9. Qvod ergo motum concernit, mirari satis non possum,  
qvod eò commoverit homines, ut tam absurdum ac manifestum  
errorem in solam Aristotelis gratiam defendendum assumserint.  
Hunc enim prorsus exterminandum à Solis calefactione, putā-  
mus, qvoniam (1.) nil nisi purum Accidens est, qvod ignem, velut  
substantiam qvandam producere neq; qvam valet. (2.) Si motus  
Solis inferiorem attenuat aërem, eundem, ut contingat perpe-  
tuò, tanq; maximè necessarium reqviritur, cùm inter agens &  
patiens nunq; non aliquis inveniat contactus. At, qvis  
qvæso contactus inter Solem intercedit & aërem? Disjunctus hic  
ab illo per tantum intervallum est, qvanticum animus noster vix  
comprehendit. (3.) Licet Sol aëri contiguus esset, per motum tñ.  
ipsum vel rarefacere, l. attenuare, vel transmutare non posset in  
ignem, siq; videm nullum elementum, aut alterationem, aut trans-  
mutationem admittat. Conf. B. Sperlingius Inst. Phys. l. 4. c. 1. qvæst. 3.  
(4.) Motus, si Scaligero credimus, magis ad impedientiam, qvam  
ad juvandam calefactionem facit. Dicit n. Exercit. 34 sect. 2. Mibi  
contra videtur, Solem, si non moveatur, magis calefacturum. Qvod ma-  
nifestius est ex radiorum fixione in rem stabilem, qvam si moveatur. Et-  
enim, cæcum speculum, si moveatur, non concipiet ignem. Nihil n. differt,  
res ne calefaciens, an calefacienda moveatur, ad hoc probandum. (5.)  
Dum Solem per motum calefacere Peripatetici docent, non So-  
li; sed Solis orbi calefactionem adscribunt. Nam secundum illo-  
rum hypothesin, non tam Sol ipse, qvam orbis ejus, ad quem af-

hus circumducitur, & alligatus, moveri dicitur. Vid. *Aristoteles* l. 2.  
*de Cælo.* c. 8. Qvin itaq; potior orbis, ac Solis concursus ad producendum calorem foret, neminem dubitaturum, confido. (6) Cùm motus Solis per totum anni spaciū unus idemq; sit, dic, qualem temporum, qvod æstum attinet, observaretur discrimen, si calor omnis à motu procederet? Nullum profectò, vel certè tam exiguum, ut vix, ac ne vix qvidem sentires. Hinc ver, autumnus & hyems eundem cum æstate possiderent calorem, nec ullis ab illâ rebus, nisi dierum quantitate different.

§. 10 Producitamen exemplum hujusmodi per motum excitati caloris ab *Aristotele*cis potest, si hominē tantum, quem motus incalescentem reddit, attendant. Qvin illud etiam patrocinari videtur adversariorum sententiæ, qvòd excitari calorem si corpus corpori continuatis allidatur attritus, nemo non sentit. Hinc ista duo mihi tanquam præcipuum fundamentum hucusq; semper imaginatus sum, qvòd *nixus* *Aristoteles* in rapidissimo stellarum motu caloris caussam qvæsivit. Verum utrumq; longè dissimilius est, qvām ut trahi huc in exemplum debeat. Ab hominis n. naturâ qvæ motu calescere solet, ad solis calorem procedere, largissima foret collectio, terrestria cum cœlestibus, & mista cum simplicibus non citra certam absurditatis inductionem confundens. Humana sanè substantia, cum corpus compositum sit, non minus igne, qvām aquâ vel terrâ constabit. Igniculis igitur hinc & inde repleta calorem facile recipit si vehementior accedit motus. Nam ille ligatas atomos excitat, excitatas unit, unitas a. ad partes exteriore rapit. At Soli nil magis, qvām ignis deest, qvod nec *Philosophus*, nec ejus Asseclæ negant. Idcirco licet in homine calor sequatur motum, idem tñ. in Sole propter omnimodam ignis absentiam expectandum oon venit. Et quid tandem lucrarentur Aristotelici, quantumvis, Solem per motum incalescere, vel adamantinis rationibus probâssent? Nihil omnino, qvod ad eorum faceret scopum. Qvippe non qværitur, an ipse Sol per motum incalescat; sed an Solis motus calorem in inferioribus mundi plagiis producat. Hic ergò Rhodus est: hic, si poterunt, saltent. Deinceps, ut ad alterum quoq; respondeamus, qvām certum habetur & vero consonum, qvòd aliquis, attritus inter se corporibus, animadvertisatur calor, tam falsum & absurdum est, qvòd aër à Sole contingatur &

atte-

attetatur. Conta&sum n. suprà removimus: Attritus a., cùm corporum soliditatem reqvirat, num aér fluidus atteri possit, dijudicatur actutum. Dignus hoc in loco Telesius est, ut ejus verba, qvi bus fictitiam aëris attritionem impugnat, breviter allegentur.  
*Quæ apud nos contrita incalescunt, ait lib. 4. de nat. rer. c. 7. densa sunt, durag̃, & stabilia, insuper, firma, quæ ferienti scil. renituntur, & ictum, plagamq; eadem sui parte, & multam illam assiduamq; excipiunt, ac sustinent. Nam quæ ferienti edunt, & plagam effugiunt, vel quæ semel tantum eadē sui parte feriuntur, contritu calere illa minimè videntur, qvianimirum illa minimè conteruntur.* Qvòd si jam qvædam ad aérem instituatur applicatio, videre non possum, an qvicq; vam hōc Aristotelicorum commentō solidius refutetur.

S. II. Motu projnde, velut confictâ calefactionis solaris causa, remoto, removendum etiam lumen unà cum radiis est, verū in tantum saltem, in quantum ipsis ab alterā Peripateticorum parte vis calefaciendi tribuitur. Nonnullis n. lumen & radii per aëris attenuationem operari videntur, sicut *Johanni Magiro*, cuius sententiam suprà retulimus. Alii lucem solarem pro vero caloris principio recognoscunt qvidem, calorem tñ. non intra Solēm, produci; sed per lumen & radium in aëre progenerari, volunt. Vid. *Pererius à B. Sperlingio* citatus in *Exercit. Phys. lib. 3. exercit. 5. prop. 4 p. 373.* cæteros tandem illisc abreptos, legimus. ut lumen & radium per & propter reflexionem aut omnem penitus; aut fortiorē ad minimum caliditatem excitare persuasiū habebant. Ad qvam opinionem *Comimbricenses* lib. 2. de caelo, cap. 7. qvæst. 5. art. 3. toti propendent. In singulis igitur Peripateticorum sententiis cùm manifestissimus deprehendatur error, necessarium est, ut pauca qvædam ad unamq; vam reponantur. Et prima qvidem tam falsa censetur meritò, qvam impossibile videntur, lumen & radium aliquid ad aëris attenuationem conferre. Qvicquid enim attenuat aliud, hoc corporis essentiam necessarium possidet, & qvidem hujusmodi corporis, cuius soliditatem satis conspicuam observamus. Lumen autem & radius nec res corporeæ sunt, nec solidæ; sed ob insignem suam tenuitatem, qvā in momento totum percurrunt mundum intentionalium qualitatum nomine veniunt. Qvocirca, dum luminis & radiorum virtuti substantialem adscribunt actum, perinde faciunt, ac si lu-

ſilumen & radium ex accidentium cellulis in altiorem ſubſtantiarum sphæram locarent. Sed licet hæc omnia concederemus ultrò, nondum tamen emerſerunt ē vadis; ſi qvidem adhuc probandum reſtet, an aér ſtatim, ſi teratur à lumine, calorem recipiat? Id verò non exequentur prius, qvām cùm aqua flamas, & ignisaqvas evomet. Secundam qvod attinet opinionem, illa plus luminī, qvām luci: plus retum imaginibus, qvām iſpis rebus largitur. At, iſi lux iſpa calefacere nequit immediate, qvī qvæſo lumen ad procreandum calorem idoneum erit? Imagines, inquit, B. Sperlingius Instit. Phys. lib. 5. cap. 1. qu. 1. p. 806. nec calidæ, nec frigidæ ſunt: nec calefacere, nec frigefacere poſſunt. Argumentamur: N. ſpecies realem habet effectum. Lumen & Radii ſunt ſpecies. E. non habent realem effectum. Et qvòd tam lumen & radius, qvām iſpa lux per ſe non calefiant, non nullæ teſtantur noctes, qvæ Solis præſentiâ deſtitutæ, calidiores nihilominus qvibusdam diebus exiſtunt. De tertio Conimbricensium dogmate notandum est uno verbo, reflexionem radii, qvocunq; modo rem explicare velint, ad generandum calorem insufficientem agnisci. Nam etſi vel reflectatur, vel duplicitur qvalitas ſpiritalis; in eum tamen perfectionis ſtatum nunquam extollitur, ut materialem producat.

§. 12. Tantum de Peripateticorum ſententiis. Superēſt tandem peculiariſ eorum opinio, qvi Solem per quandam ingenitam vim, ſeu per virtutem calefactivam & influxum calefacere mediantebus potiſimū radiis vim iſtam ad hæc inferiora deferentibas, putant. Vid. Ptolomeus lib. 1. quadripart. oper. c. ap. 3. Bartholinus Syst. Phys. Astron. theor. 13. p. 159. CL. Zeifoldus, Instit. Phys. lib. 2. ſect. 1. art. 2. punct. 5. p. 78. Scaliger Exercit. 75. ſect. 1. Verū ſicut nos æqvè cum illis ſtatuiimus, Solem vim maximam excitandi calorem habere; Ita diſcendum neqvaqvam eſt, hanc vim vel ipsam calefacere; vel calorem immediate progignere. Nam illud ſi ſtatuas, formalem Solis calorem non obſcurè defendis: Sin hoc, jam eò progreſſus abſurditatis eſt, ut ex qvolibet qvodlibet progenerari promiſcū, credas. Jam vera de calefactionis Solaris modo ſubiecta forēt ſententia: qvoniam a. ob pageilarum anguſtiam ulterius progredi non licet, eam unā cum reliqvis ad pleniorē hujus materiæ per traſtationem neceſſariis partibus posteriori diſſertationi reſervamus.



Nov. 2000  
Bd.






# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



N. J.  
IO PHYSICA  
IOR  
DE  
CTIONE  
ARI,  
ESIDIO  
RI  
*i, Amplissimi & Excel-  
issimi*  
NTINI ZIEGRA,  
siolog. Prof. Publ. longè  
Ampliss. Facult. Philos.  
Spectatissimi,  
ceptoris ac Promotoris  
servantie cultibus  
erandi,  
tiarum collationi  
ponit  
CHRISTIANUS  
FERUS,  
ensis Saxo.  
ril. boris pomerid.  
orio Majori.  
EBERGÆ,  
AELIS Wendt.  
M. DC. LXV.